

*aristotelica offendit naturalem ratiocinandi modum, qui à subjecto progreditur per medium ad majorem extremitatem, ordine nunquam mutato. Quod autem offendit naturalem ratiocinandi modum, qui à subjecto progreditur per medium ad majorem extremitatem ordine nunquam mutato, est illegitimus & inversus ratiocinandi ordo. E. altera figura Aristotelica est illegitimus & inversus ratiocinandi ordo. Idem vult, quod antea, quia nempe mediusterminus in secundæ figuræ præmissis non inter extrema interjacet, & ita ratione situs inter majorem & minorem medius sit, id propter putat Anonymus ille Syllogismos secundæ figuræ lædere naturalem argumentandi modum.*

§. VII. Adversus tertiam figuram ita insurgit: *Tertia figura Aristotelica medium terminum in utraq; præmissa subiicit; sed quæ medium terminum in utraq; præmissa subiicit, offendit naturalem ratiocinandi modum, qui immutabiliter à minori supposita extremitate pergit per medium ad majorem extremitatem. Ergò, tertia figura Aristotelica offendit naturalem ratiocinandi modum, qui immutabiliter à minore supposita extremitate pergit per medium ad majorem extremitatem. Quod autem offendit naturalem ratiocinandi modum, qui immutabiliter à minori supposita extremitate pergit per medium ad majorem extremitatem, necessario est illegitimus & inversus ratiocinandi ordo. Ergò, tertia Figura Aristotelica est illegitimus & inversus ratiocinandi ordo. Dico amplius secundum naturam medii est impossibile, ut idem bis in præmissis naturaliter subjectum agat, quod probò: medium naturaliter comparatum est, ut majorem extremitatem de minore extremitate pro conformitate vel difformitate affirmativè aut negativè predicare faciat. Quod verò naturaliter comparatum est, ut majorem extremitatem de minore extremitate pro conformitate vel difformitate affirmativè aut negativè predicare faciat, necessario vi illius predicationis cum utraque extremitate componenda vel dividenda venit; Ergò, medium naturaliter vi predicationis suæ cum utraq; extremitate compo-*

*compo-*